



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

Iacobi Sirmondi Admonitio Ad Lectorem De Seqventi Collatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

uo. Sozimus Elborensis, qui successit Abientio, in octauo.

In hoc Concilio, quamuis est nationale, non subscribunt abbates, neque viri illustres officii palatini. forte eæ subscriptiones desunt in manuscriptis codicibus.

<sup>m</sup> *Eugenius.* ] Interfuit VIII. & IX. Conciliis Toletanis, vir sanctus. sunt qui affirmant inter diuos relatum fuisse.

Fructuosus  
quis.

<sup>n</sup> *Fructuosus.* ] Fructuosus ex regio Gothorum sanguine ortus, ducis filius, episcopi Palentini Tonantii discipulus, multorum monasteriorum conditor, & pater, ex Complutensi abbate, cum monasterium exædificauerat, ad Virgidiensem tractum Iusti & Pastoris martyrum nomine Dumienfis episcopus creatus, in Potamii deiecti locum subrogatus, Bracarenfis ecclesiæ curam suscepit. Actis huius Concilii post Eugenium Toletanum, & Fugitiuum Hispalensem subscribit. Eius memoria cum sanctitatis opinione a populis Bracarenfis & Compostellanis colitur, festo die dicato ad sextum decimum Kalendas Maii. Corpus eius in monasterio ab ipso exædificato inter Dumium & Bracaram sepulturæ mandatum, postea Iacobo Gelmiride primo Compostellæ archiepiscopo Compostellam translatum, vbi magna populi veneratione colitur.

IACOBI SIRMONDI ADMONITIO  
AD LECTOREM DE SEQUENTI COLLATIONE.

Disputatio Maximi cum Theodosio Cæsareæ in Bithynia episcopo, & proceribus qui cum illo venerant, Bizyæ in exilio ipso peracta est, anno, vt mensis Augustus & 14. indictionis nota docet, 656. Quare in annalibus ecclesiasticis recte huic anno adscribitur. Male autem iudicium quæstio, quæ Maximi exilium, vt dictum est, antecessit, in sequentem annum ibidem coniecta est, cum ad præcedentem referri deberet.

TOMVS CONTINENS RELATIONEM  
de dogmatibus quæ mota sunt inter sanctum Maximum &  
Theodosium episcopum Cæsareæ Bithyniæ, seu consules qui  
cum eo erant.

Ex collectaneis Anastasii bibliothecarii a R. patre Iacobo Sirmundo societatis Iesu editis.

QVÆ mota sunt de immaculata nostra Christianorum fide, atque subintroducæ contrariorum nouitate, inter abbatem Maximum & Theodosium episcopum Cæsareæ Bithyniæ, necessarium duxi manifesta facere omnibus vobis, qui in orthodoxia consistitis: vt cum certius de his scire visi fueritis, glorificetis magis ac magis amatorem hominum Deum, qui dat verbum in apertione oris timentium se: ne forte more solito veritatis inimici huic

ANNO  
CHRISTI  
656.